

Precioſa mors quorundam Patrum é Societ. Ieſu in noua Francia. 1. P. Annas Denoüe Campanus, Caritatis officia exercens, frigore enecatur 2 Febr. 1646. 2. P. Iſaac Iogues Aurelianus, christianis ad Hiroquæos portans Dæmonem attuliſſe creditus, ſecuri percutitur 18 Octo. 1647. 3. 4. Duo iuuenes eiusdem comites trucidantur
5. P. Anton. Daniel Dieppenſis gregi ſuo Vitam ſeruare volens interficitur 4 Iul. 1648. 6. 7. P. Ioa. de Brebeuf dioc. Baiocenſ. et P. Gabriel Lallemant pariſinus, flammis, candentibusque igni ſecuribus ad collum appenſis, exuſti aquâ ebulienti in Baptiſmi contemptum perfuſi, exſectis deuoratiſque carnibus, interemti ſunt:
ibi hic 17 martii 1649. 8. P. Carol. Garnier pariſinus Paſtoris officio fungens, ſclopis impetitur 7 Decemb. 1649. 9. P. Natal Chabanel dioc. Mimatenſ. ob apoſtata ſub idem tempus in profluentem deiectus eſt. 10. Ioſeph Onaharé iuuenis Algonquinus a chriſti laudibus ceſſare nolens tribus diebus totidemque noctib. cruciatur quinque vero
exurere.

DOCTRINÆ PURITATEM
SANGUINE
CONSIGNANTIBUS.

THESES EX UNIVERSA PHILOSOPHIA.

I.

LOGICA mentis operationes ſpectat. Præcipuæ ſunt perceptio, judicium & diſcurſus. Omnis imago, ut omnis idea, ſic ſemper vera eſt, ut numquam poſſit eſſe falſa. E duabus propoſitionibus ſingularibus & contradictoriis de futuro libero, una eſt determinatè vera, altera determinatè falſa. Ratiocіniorum perfectiſſimum Sillogiſmus ſimplex, qui unica minore concluſionem eſſe in majore oſtendit.

II.

ETHICA voluntatem dirigit ad honeſtatem, propoſitâ ſummâ felicitate quæ in Deo ſita eſt. Voluntas libera eſt in actibus deliberatis, id eſt, immunis ab omni ſimplice neceſſitate, quæ quolibet nomine diſſimuletur, repugnat libertati. A fine ſuo aberrat voluntas, ſi liberè agens non agit propter finem honeſtum.

III.

METAPHYSICA præcipuè Spiritum contemplatur. Spiritus duplex, increatus & creatus. Spiritus increatus Deus eſt, nempe ens ſingulare ſumme perfectum, cujus exiſtentiam demonſtrant argumenta omnis generis. Spiritus creatus duplex; Angelus, & mens humana: non niſi poſſibilitatem Angeli nos docet ratio, mentis verò humanæ realiter exiſtentis & ſpiritalitatem & immortalitatem demonſtrat.

IV.

PHYSICA verſatur circa Corpus naturale, cujus præcipuè mobilitas ſpectari debet à Phyſico, quia motu mundus hic univerſus velut animatur. Motus eſt tranſitus à loco in locum per ſpatia intermedia. Ut fiat motus in rerum natura vacuum fruſtra requirunt Gaſſendiſtæ; illius autem poſſibilitatem malè rejiciunt Carteſiani. Præcipuæ motûs affectiones ſunt determinatio, velocitas, quantitas. Determinatio motûs eſt relatio mobilis ad unam potiùs, quàm ad alteram partem. Velocitas eſt quotiens ſpatii percurſi per tempus diviſi. Quantitas eſt ſumma velocitatis multiplicata per molem, aut viciſſim.

V.

MOTUS ſemel inceptus in corpore tandiù debet perſeverare, donec occurrat cauſa aliqua particularis, quæ eum ſiſtat. Hinc cauſa motûs continuati eſt eadem ac incepti. Idem dicendum eſt de determinatione & velocitate, quam corpus motum eamdem ſervare debet, niſi immutatio fiat ab obvia cauſa particulari. Corpus in motu poſitum lineam rectam per ſe affectat. Ergo motus circularis conſtat innumeris determinationibus ad motum rectum, quæ in ſingulis punctis phyſicis à cauſa aliqua particulari extrinſeca mutantur.

VI.

SI corpus à pluribus cauſis accipiat plures determinationes, obedit ſingulis pro earum viribus. Undè ſi determinationes ſunt æquales & è diametro oppoſitæ, immotum manet, ſi altera eſt fortior, corpus ipſi obedit pro exceſſu ipſius virium. Quòd ſi determinationes non ſunt è diametro oppoſitæ, ſingulis corpus obedit æqualiter aut inæqualiter, prout determinationum vires ſunt æquales aut inæquales. Hinc ſi corpus obliquè tranſeat à medio uno in alterum diſſimile, motus illius refringitur magis accedendo ad lineam horizontalem aut perpendicularem, prout novum medium eſt difficilius aut facilius.

VII.

EX regulis motûs leges ſuas deducit Statica, quæ vincendæ gravitatis modum docet: hæc, ſi verſatur circa ſolida, Geoſtatica; ſi circa liquida, hydroſtatica dicitur. Univerſale principium Staticæ illud eſt: corpora ſunt in æquilibrio, cum æquales ſunt utrinque vires reſpectivæ ſibi contranitentes; ſin vires eædem ſunt inæquales, prævalere debet vis major. Jam quærendum eſt quandonam vires reſpectivæ ſunt æquales, nec-ne. In ſolidis, quæ tractat Geoſtatica, vires reſpectivæ ſunt æquales, quando pondera in machina ſunt in ratione reciproca ponderis & diſtantiæ à fulchro. Hinc explicatur vis omnium machinarum augendis naturæ viribus idonearum.

VIII.

AD Hydroſtaticæ leges ſupponimus liquores gravitare etiam in proprio loco, & ſecundùm altitudinem tantùm perpendicularem, habitâ tamen ſemper ratione baſis. Quo poſito, dicimus vires reſpectivas in liquoribus homogeneis eſſe æquales, ſi altitudines perpendiculares ſunt æquales: in liquoribus heterogeneis, vires reſpectivas eſſe æquales, ſi altitudines perpendiculares & gravitates ſpecificæ ſunt in ratione reciproca. Denique ſi ſolidum intrà liquidum ſpectetur; aut demergitur, aut innatat, aut ſupernatat, prout majoris, aut æqualis, aut minoris eſt gravitatis, ac par volumen liquidi.

IX.

COGNITIS mechanicæ legibus contemplandus venit ipſe mundus, qui eas tam conſtanter ſequitur. Cœlum pars mundi præcipua: Cœlos intuentibus occurrunt corpora in immenſis Cœlorum ſpatiis lucentia; quæ omnia diverſas habent apparentias. Alia videntur ſemper eumdem ordinem ſervare, & eâdem proindè Cœli parte conſiſtere, & dicuntur ſtellæ fixæ, alia velut errabunda, nec eumdem inter ſe ordinem ſervant, nec eâdem Cœli parte conſiſtunt, & dicuntur planetæ, qui ſeptem primarii numerantur. Stellæ lucent luce propriâ: inter planetas ſol unus luce propriâ lucet.

X.

RELIQUI verò planetæ lumen mutuantur à ſole, ſuntque corpora opaca. Hinc ſi fortè incidant in umbram alterius corporis opaci, Eclypſim patiuntur. Contra verò ſol & ſtellæ non patiuntur Eclypſim, niſi quatenus radii eorum luminoſi ab oculis noſtris arceantur interpoſitu corporis opaci: Solis v. g. Eclypſim patimur ab interpoſitu Lunæ. Stellæ & Planetæ omnes ſingulis diebus circa terram moventur ab oriente in occidentem. At intereà moventur ab occidente in orientem: ita etiam hunc motum quidam habent Planetæ, ut interdùm ſtare, interdùm retrocedere videantur.

XI.

AD explicationem Aſtronomicam horum motuum & apparentiarum varia proponuntur ſyſtemata, inter quæ ingenioſè excogitatum eſt Copernicanum, in quo facilè explicantur Phænomena, ſeu variæ ſtellarum, planetarum, ſolis apparentiæ & motus: ſed ut hypoteſis defendi quidem poteſt, non verò ut theſis, propterea quod motum terræ attribuit, quem Scriptura ſacra denegat.

XII.

PLANETIS opacis annumeramus Cometas quos probabile eſt eſſe Planetas perpetuos ab Autore mundi Deo ab initio creatos, ut creata ſunt alia omnia corpora, qui regulares habent periodos, ſed qui non niſi in parte aliqua ſuæ orbitæ fiunt aſpectabiles. Influere aliter corpora cœleſtia, quam lumine aut calore negamus. Fata hominum ab eorum influxu repetere impium eſt.

XIII.

HACTENUS de cœleſtibus corporibus. Nunc de qualitatibus corporum ſenſibilibus, nempè de iis corporum dotibus quæ ad ſenſus noſtros pertinent. Ad viſum pertinet lumen, quod duplex diſtingui debet; ſcilicet primitivum & radicale, quo corpus aliquod lucet; & ſecundarium ac derivatum, quo immediatè movente organum viſûs fit ut corpus lucidum aut opacum à quo lumen reflectitur, videamus. Lux ſeu lumen primitivum conſiſtit formaliter in motu rapidiſſimo vibratorio recto partium tenuiſſimarum corporis lucidi in materia ſubtili innatantium. Lumen ſecundarium formaliter conſiſtit in motu materiæ globuloſæ à corpore lucido ad oculum uſque videntis protenſæ.

XIV.

COLORES ſpectati in objectis, qui Colores primitivi dicuntur, conſiſtunt in certa partium configuratione & ſitu: quæ autem ſit illa diſpoſitio & figura non niſi conjecturis innoteſcit. Colores ſecundarii ſunt variæ quædam luminis modificationes. Varietas harum modificationum à diverſis oritur cauſis, v. g. à diverſa umbræ & luminis attemperatione, à frequentiore aut rariore radiorum luminis vibratione, à refractione & reflexione.

XV.

AD auditum pertinet ſonus, qui duplex diſtinguendus eſt, radicalis & derivatus. Radicalis conſiſtit in motu vibratorio recto partium inſenſibilium rigidarum corporis ſonori. Derivatus verò conſiſtit in motu ſimili partium aeris tenuiorum quæ tympanum auris afficientes dant occaſionem ſenſationi. Sonus reflexus ſi ſeparatim à directo tympanum ferit, fit Echo.

XVI.

AD guſtum pertinet ſapor, qui oritur à motu partium inſenſibilium ſalis & ſulphuris, quæ ſalivâ delibutæ organum guſtûs, id eſt, fibrillas linguæ intimas afficiunt. Ad odoratum pertinet odor, qui oritur à motu partium inſenſibilium nitro-ſulphurearum a corpore odoro profluentium, quæ vectæ aere & materiâ æthereâ, membranulam ad fundum narium expanſam afficiunt. Hæc porro corpuſcula pro diverſa mole, figura aut agitatione, varios efficiunt ſapores aut odores.

XVII.

AD tactum multa pertinere videntur. Color conſiſtit in motu celeri vibratorio, perturbato & expanſivo partium quarumdam inſenſibilium. Frigus in privatione motûs ejuſdem. Durities in quo conſiſtat difficilius eſt ſtatuere. Si durities ſecundaria quæritur, non malè collocatur in partium immediatè contiguarum quiete juxta ſe invicem, & preſſione liquidi ambientis. Si primitiva durities quæritur, non aliundè repetenda videtur, quàm ex eo quód partes elementares in prima ſui creatione non ita fuerunt diviſæ aliæ ab aliis, ut non in ſingulis ipſis partibus particulæ indiviſæ & difficilè diviſibiles remanſerint.

XVIII.

LIQUIDITAS conſiſtit formaliter in motu actuali recto omnium partium inſenſibilium in omnem lati differentiam: cujus quidem motus in liquidis ſecundariis cauſa duplex, una intrinſeca, quæ eſt partium exilitas & figura aptiſſima ad motum, altera extrinſeca, quæ eſt motus materiæ ſubtilis in omnem ſenſum fluentis & particulas corporis liquidi abripientis. Inter duritiem & liquiditatem medium quoddam obtinet mollities. Humiditas conſiſtit in convenientia partium liquidi, ut adhærcant corpori alicui. Siccitas in eo quod partes unius corporis ineptæ ſint ut adhæreant alteri corpori. Undè ſunt qualitates relativæ.

XIX.

ELASTICITAS non improbabiliter repetitur à materia ſubtili per poros coarctatos corporis compreſſi fluente. Ex eo non malè explicantur varia lacrymæ Batavicæ phænomena. 1°. Cur pars ejus craſſior vix frangi poſſit? 2°. Cur fractâ caudâ in pulverem abeat? 3°. Cur recocta, aut in aëre libero efformata non diſſiliat. Ex eodem principio explicatur cur lamina chalibea horologii portatilis moveat tympanum horologii.

XX.

PRÆTER has corporum qualitates, aliæ ſunt quæ occultæ dicuntur, propterea quód ad ſenſus noſtros non pertinent, & ratione tantum deprehendi poſſunt. Hujus modi eſt fermentatio quæ oritur á ſalibus acidis intra poros ſalium alkalium rotatis á materia ſubtili. Inter qualitates occultas annumeratur merito ſympathia & antipathia. Sympathia modò oritur á conſimili partium configuratione, modò ab effluvio corpuſculorum quæ ab uno corpore manantia alteri corpori aptè conveniunt. Antipathia verò à cauſis contrariis.

XXI.

ELEMENTA vulgaria quatuor numerantur, dè quibus nunc dicendum. Aer quem ſpiritu ducimus, conſtat particulis, ramoſis, flexilibus & variè convolutis. Tres ſunt præcipuæ aeris proprietates, gravitas, elaſticitas & capacitas condenſationis & rarefactionis. Per illas explicari poſſunt omnes effectus, qui olim aſcripti ſunt naturæ abhorrenti á vacuo: ut aſcenſus aquæ in ſyringem, effluxus per ſyphones, ſuſpenſio liquorum in tubis.

XXII.

IGNIS conſtat particulis craſſioribus, ſulphureis præſertim & nitroſis, natantibus in materia ſubtiliori, & ab ea motu turbineo & vibratorio agitatis. Hinc deducuntur omnes Ignis proprietates, lux, calor, varius & vis multiplex. Ex Igne ſubterraneo oriuntur majores terræ motus, & flammæ ex montibus ignivomis erumpentes. Hanc eſſe etiam cauſam quorumdam turbinum in mari credimus.

XXIII.

TERRA ſpectata ut elementum conſtat partibus craſſis, ramoſis, multùm inter ſe implicatis ac duris. Ex hoc elemento & aqua componitur globus terraqueus. In ſinu Terræ gignuntur varii ſales & ſulphura. generantur metalla varia ex ſalibus, ſulphuribus & partibus aliis; generantur etiam lapides ſuccis lapideſcentibus ex mixtione acidorum & alkalium Terræ.

XXIV.

AQUA conſtat partibus oblongis, lævibus, flexibilibus & facilè aliis juxta alias fluentibus. Hinc tres illius proprietates deducuntur. 1°. quod ſit gravior aere, ſed levior terrâ. 2°. Quod ſit liquida. 3°. Quòd poſſit tergere ſordes corporum.

XXV.

INTRA aërem quædam phœnomena videre eſt, quæ meteora dicuntur, & ſunt diverſi generis. Meteora volatilia ſunt venti qui conſiſtunt in motu vaporum plurimis exhalationibus mixtorum, vel partium aëris in certam partem confluentium. Hic verò motus poteſt oriri vel a rarefactione facta in una parte, vel ab occurſu corporis motum aera reflectentis, vel ab aliis cauſis quæ innumeræ ſunt. Turbo, typho, columna nubis, variæ ventorum ſpecies.

XXVI.

METEORA humida oriuntur à vaporibus intra aërem concretis ſimul cum exhalationibus. Si conſiſtunt intra infimam aëris regionem, faciunt nebulas, pruinam, rorem, auram ſerotinam, &c. Si altiùs aſcendunt faciunt nubes; quæ ſi calore aliquo ſolvuntur, decidunt in pluviam, ſi decidendo guttatim iterùm congelantur, fit grando; ſi conglaciatis, ſed ſeparatis floccis decidant, nix.

XXVII.

METEORA ignita ſunt exhalationes accenſæ intra aërem. Accenduntur autem vel in infima regione aeris, ut ignis fatuus, ignis Sancti Elmi; vel in ſuprema aeris regione formantur, ut ſtellæ diſcurrentes: in media autem regione gignuntur alia meteora durabiliora, quæ pro diverſa figura diverſa ſortiuntur nomina, ut trabis, pyramidis, teli, clypei, &c.

XXVIII.

VERUM inter meteora ignita præcipuum eſt fulgur & fulmen. Si exhalationes ſulphureæ, bituminoſæ & nitroſæ intra nubem fermenteſcant & accendantur, fit tonitru, id eſt, horrendus quidam fragor: Si exhalationes illæ accenſæ erumpant, fit fulgur, id eſt, lumen vividiſſimum; ac ſi ita pingues ſunt illæ exhalationes, ut accenſæ ad terram uſquè decidant, fit fulmen. Hæc tria non ſunt ſemper conjuncta.

XXIX.

ALIA ſunt meteora quæ Emphatica dicuntur, quia conſiſtunt in ſola apparentia. Parhelium eſt imago ſolis in vaporibus congelatis velut in ſpeculo repræſentata. Paraſelene eſt imago lunæ eodem modo expreſſa. Halo ſeu Corona eſt fulgor qui ſolem aut lunam cingit. Virgæ, vorago ſeu hiatus ſunt radii ſolis aut lunæ è vaporibus quibuſdam condenſatis certo modo reflexi.

XXX.

IRIS eſt arcus diverſi coloris, ortus ex radiis ſolaribus vario ſitu diſpoſitis, & diverſo modo refractis ac reflexis in nube roſcida & oppoſita ſoli. Duplex eſt Iris; primaria & ſecundaria. Primaria pendet ex eo quod radii ſolares per partem ſuperiorem guttæ pluvialis ſubeant. Secundaria ex eo quod radii ſolares per partem guttæ inferiorem ſubeant.

Has Theſes, Deo Duce, & auſpice Dei-parâ, propugnabit Selectus Phyſicus Collegii Remenſis Societatis JESU JOSEPHUS-NICOLAUS LOMBARD, Nanceianus, Convictor.

In Aula majore ejuſdem Collegii die Mercurii 25â Junii, horâ poſt meridiem ſecundâ anno Domini 1738.

PRO ACTU
PUBLICO

Ex Typis

Hewlett Case [illegible] Q842 .J5 1931 (sheets)